DISSERTATIO
HISTORICO-POLITICO-JURIDICA,
DE
SUCCESSIONIBUS PRINCIPUM IMPERATORUM ET ELECTORUM,

Quam

DEO DUCE, SUPERIORUM AUTHORITATE, VITÂ COMITE

[illegible]

Sub Præſidio

VIRI

Magnifici, Nobiliſſimi, Ampliſſimi & Conſultiſſimi

DN. PETRI THEODORICI,

JCti eminentisſimi, Hereditarii in Groslöbichaw/ Facultatis Juridicæ & Scabinatus Ordinarii ſpectatiſſimi, Curiæ Provincialis Aſſeſſoris primarii & Confiliarii Saxonici graviſſimi, Patroni, Promotoris & Præceptoris mei ſummâ obſervantiâ æternùm devenerandi,

Ad

Privilegia atq; Inſignia Doctoralia ex utriusq; Juris peritia ritè & ſolenniter impetranda

In Auditorio JCtorum

Ad diem 11. Novemb.

Horis matutinis

Publicè examinandam expono

JUSTINUS Schelhaſe/ Hennacenſis.

JENÆ

Excudebat JOH-CHRISTOPH. WEIDNER, Anno *M. R. M. DC. XXXVII.*

ILLUSTRISSIMIS ET CELSISSIMIS PRINCIPIBUS AC DOMINIS,

DN. JOHANNI ERNESTO

SENIORI,

ET

DN. JOHANNI ERNESTO

JUNIORI

Ducibus Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ ac Montium, Landgraviis Thuringiæ, Marchionibus Miſniæ, Comitibus de Marca & Ravenſpurg, Dynaſtis in Ravenſtein, Dominis meis Clementiſſimis,

Inauguralem hancce diſſertationem

Subjectiſſimus

conſecro

Justinus Schelhaſe/
Author & Reſp.

AUXILIANTE DEO!

Theſis I.

VOcis conſideratione mentem ad rem ipſam meliùs cognoſcendam quaſi præparari, teſtis eſt *Keckerm. p. 2. ſyſtem. Logic. plen. c. 4. & 8.* & ex proprietate nominum vim atque ſubſtantiam rerum aliqualiter inveſtigari poſſe, eruditè ſcribit *Anton. Faber. in Rationabil. ad l. 1. ff. de J. & J. lit. b.* id quod dudùm etiam opinati fuerunt Alpha illud Philoſophorum *Ariſtot. lib 3 Metaphyſ. c. 2.* & Princeps ille Philologorum *Scaliger exerc. 1. ſect. 1.* Quapropter ante omnia, tritâ illa & vel pueris cognita Succeſſionis Etymologiâ & Homonymia ſepoſitâ, Principum notationem variamq́; eorundem acceptionem diligentiùs inquiram.

II. Principes appellantur latinè qſ. Primicipes, i. e. primum in Republica & in Senatu imprimis publico, locum capientes. Germanicè Fürſten oder Förſten / per contractionem, qſ. die Förderſten am Reich / Schwabenſpiegel *lib. 1. c. 141. §. 6.* der Fürſt / &c. vel à præſidendo, vom fürſtehen / ſive gubernando tempore pacis Legibus, non armis, ut Germaniæ Doctor *Lutherus* docet ad illud Pſalmi 60: Juda legifer meus. Juda iſt mein Fürſt.

III. Eorundem acceptio hodiè frequentatur triplex: Prima eſt generalis denotans omnes Illuſtres perſonas, v. g. Imperatores, Electores, Auſtriæ Archiduces, Duces, Comites Palatinos, Marchiones, Principes, Landgravios, Burggravios, Comites & Barones.

IV. Altera eſt ſpecialis denotans tantùm eos, qui de Principatibus aliquibus etlichen Fürſtenthümern / nicht Hertzogthümern / ab Imperatore unà cum dignitatibus, der Fürſtenthümer / ſunt inveſtiti, quales perhibentur Principes Aſca-

254

niæ, die Fürſten zu Anhalt; Principes Sveviæ, quos repræſentant Archiduces Auſtriæ: Principes Rugiæ, quos repræſentant, ext nct. à Ducibus Pomeranis, Marchiones Brandeburgenſes ſolùm: Principes Vandalorum, quos repræſentant Duces Megapolitani: His adduntur Principes Hennebergiæ, quos repræſentant hodiè cum Electore Septemviro Duces Saxoniæ lineæ tam Aldenburgicæ, quàm Vinaricæ. Et Princeps zu Stabell quem repræſentat Elector Colonienſis.

V. Tertia eſt ſpecialiſſima, denotans Imperatores Principes, κατ' ἐξοχὴν dictos Principes, *princ. proœm. inſt. l. §. 6. inſt. de J. N. G. & C. l. 31. ff. de LL. & l. 1. ff. de conſt. Princ.*

VI. Primam ex hiſce tribus inſtituto meo, cui maximè videbatur inſervire, accommodare deque Imperatorum, Electorum, Auſtriæ Archiducum, Ducum, Comitũ Palatinorum, Marchionum, Principum, Landgraviorum, Burggraviorum, Comitum & Baronum ſucceſſionibus, materia certè cedro digniſſima, nobiliſſima & uſu frequentiſſima, nec dum in forma diſſertationis unquam tractata, impræſentiarum pro modulo ingenii diſſertare conſtitueram, verùm negotia quædam inevitabilia obſtiterunt, meq;, ut à propoſito meo recederem, & de Principum, Imperatorum & Electorum Succeſſionibus hac vice tantùm diſſertarem, coegerunt.

Alme Deus noſtris feliciter annue cœptis,
Unde tibi laus ſit, noſtrisq; certa ſalus.

VII. De Imperatorum in Imperio Succeſſione jam nunc diſſerturus diſtinctius procedam, &, ne aliquid antiquitatis ignoremus, *arg. §. x. inſtit. de teſtam. ord.* cui non abs re ſtudeamus, *Novell. 30. in princ.* 1. de Succeſſione Imperatorum Romanorum. 2. de Succeſſione Imperatorum Romano-Germanicorum καθ' ἑξῆς [illegible] acturus ſum.

IIX. Quemadmodum autem de Jure Civili Succeſſio in hereditate, heredibus, vel ex Teſtamento, vel ab inteſtato defertur, *tot. tit. inſt. de Teſtam. ordinand. & tot. tit. inſt. de hered. quæ ab inteſt. deferunt.* Ita quoque ſucceſſio in Imperio Romano duobus modis olim fuit delata Imperatoribus, vel Jure hereditario, Imperatorum heredibus, vel, iis deficientibus, electione Exercitus.

IX. *Jure hereditario* Imperium Romanum C. Julius Cæſar, victo Pompejo in pugna Pharſalica *an. M. 3902.* Imperatorum primus, ejusq; adoptivus filius Octavianus Auguſtus principio poſſederunt: Auguſtus poſtea illud eodem jure detulit Tiberio, genero & Privigno, *Vellejus Paterculo lib. 2. Tacit. lib. 17* ubi de Galba Imperatore Piſonem adoptante agit, & *Tranquill. in vita D. Auguſti.* Tiberius C. Caligulæ nepoti, *Tranquill. in Tiberio c. 76. & in Caligula c. 14.* Claudius, Claudio Domitio Neroni, filio adoptivo. *Tranquill. in Claud. c. 39. & in Nerone c. 7.* Similiter Veſpaſianus, Tito & Domitiano, filiis naturalibus: Nerva, Trajano. *Xiphil. in epitom. Dion.* Trajanus, Hadriano: Hadrianus, L. Ælio & Antonino Pio: Antoninus Pius M. Aurelio & L. Vero, omnibus filiis ſuis adoptivis: Marcus Aurelius, Commodo filio naturali: Antoninus Alagabalus Alexandro filio adoptivo: Valerianus Senior, Gallieno & Valeriano juniori, filiis naturalibus: Carus, Carino & Numeriano, filiis naturalibus: Diocletianus & Maximianus, Conſtantio & Galerio filiis adoptivis: Conſtantinus Magnus tribus filiis, Conſtantino & Conſtantio & Conſtanti. *Onuphrius Panvin. lib. de Comitiis Imperatoriis c. 1.* apud quem etiam alia, poſt hæc, hereditariæ Imperii Romani delationis exempla, videnda extant.

X. Electione, Imperium Romanum ad Extraneos delatum eſt dupliciter. 1. Senatus, 2. Exercituum.

XI. Senatus electione ſive ex Sctô, renunciati ſunt tres vel quatuor Imperatores: Nerva, Maximinus & Balbinus, ac Tacitus, *Dio Caſſius in vita Nervæ. Julius Capitolinus in Maximini & Balbini vitis. Herodianus Græcus ſcriptor lib. 7. tempor. ſuor. & Vopiſcus Syracuſius Taciti vitæ ſcriptor.*

XII. Exercituum electione Imperium adepti ſunt plures, ſed diverſimodè. Modò enim unus tantùm electus & confirmatus eſt Romæ à ſolis Prætorianis, i. e. ab octo cohortibus, quibus præfectus prætorio præerat, ut Claudius, qui Cajo Caligula cæſo à Prætorianis Romæ Auguſtus ſalutatus eſt. *Tranquill. in Claud. c. 10. Joſeph. antiquitat. lib. 19. c. 2. 3. & 4.* Item Pertinax Commodo interfecto, *Julius Capitolin. in vita Pertinacis. Herodian. lib. II. hiſtoria tempor. ſuor.*

265

XIII. Modò unus tantùm electus & confirmatus eſt plurium Exercituum, Populi Romani Ducum, Præfectorum, vel Legatorum Conſularium, Legionum Tribunorum & Centurionum ſuffragiis, ut Macrinus, occiſo Caracalla; Flavius Claudius, trucidato Quintillo, & alii.

XIV. Modò plures eodem ferè tempore à variis exercitibus per diverſas Populi Romani provincias electi & confirmati fuêre, ut Galba Imperator in Hiſpania: Vitellius in Germania: Otto, Romæ à Prætorianis & Veſpaſianus in Judæa, Syria à Legionibus quibus præerant, Nerone occiſo, intra unius anni ſpatium Imperatores deſignati ſunt, Ex quibus Galbam Otto, Ottonem Vitellius, Vitellium Veſpaſianus acerrimis civilibus bellis confecerunt, ſolusque rerum Veſpaſianus potitus eſt. *Tacit. lib. 5. poſteriorib. hiſtoria Auguſta & Tranquill. in vita Veſpaſiani.*

XV. Idem accidit cæſo Pertinace, quando Julius Romæ à Prætorianis: Peſcennius Nigerius in Oriente à Legionibus Syriacis: Severus in Pannonia ab Illyricianis & Albinus in Britanniis, ab iis, quibus imperabant Exercitibus, Auguſti ſimul ferè creati ſunt. Quos omnes Severus bello Civili victos interfecit, ſolusq; annos 18. rerum potitus eſt. *Herodian. lib. 3. hiſtoria Auguſt. Ælius Spartianus & Julius Capitolinus in 4. dictorum Principum vitis.* Pluribus inſuper de his conſulatur *Onuphr. Panvin. laud. loc.*

XVI. Hactenus dictum & ſcriptum, de Romanorum Imperatorum Succeſſione, nunc trahit Vara Vibiam, &, (ut utar Hiſpanorum adagio) ſequitur funis ſitulam, ut etiam diſpiciam de Romano Germanicorum Imperatorum Succeſſione. Ea itidem vel Jure hereditario vel Electione Imperatoribus delata traditur.

XVII. Jure hereditario, Carolus Magnus Rex Franconiæ Imperium Romano-Germanicum, tolerantibus Germanis Principibus (ut loquitur *Petrus de Andlo. lib. 2. de Imper. Roman. c. 1.*) transmiſit in Ludovicum Pium filium. Ludovicus Pius in Lotharium filium. Lotharius in Ludovicum II. filium. Ludovicus II. in Patruum Carolum Calvum. Carolus Calvus

in

in Ludovicum Balbum filium. Ludovicus Balbus in Carolum Craſſum filium. Carolus Craſſus in fratris Carolomanni filiũ Arnolphum. Arnolphus in Ludovicum IV. filium. *Heig. p. 1. q. 5. n. 12. Cabot. 1. diſp. nct. 10. & 13. Gewold. de ſacr. Roman. Imper. ſeptemviratu c. 2. & 4. in fin.*

XIIX. His Imperatoribus denatis, Regia Caroli Magni proſapia, quæ annis circiter cx. duraverat, defecit, dignitatemque Imperatoriam alii Imperii Principes ex diverſis familiis uni Electione vel omnium ſive maximæ partis Imperii Principum vel quorundam tantùm ſibi acquiſiverunt.

XIX. Omnium ſive maximæ partis Imperii Principum Electione ad Imperii faſtigium evecti ſunt, Cunradus I. Comes Franconicus: Heinricus Auceps: Otto Magnus. Otto II. Otto III. Duces Saxonici Wittekindini. *Gewold. allegat. tract. c. 4. in fine.*

XX. Quorundam Imperii Principũ tantùm, puta ſeptẽ Electorum Electione Imperio præfuerunt: Heinricus II. Dux itidem Wittikindinus Saxonicus. Cunradus II. Heinricus III. Heinricus IV. Heinricus V. Duces Franconici: Lotharius II. Dux Saxoniæ, familiæ ſuæ caput & finis: Cunradus III. Fridericus I. Heinricus VI. Philippus III. Otto IV. Fridericus II. Duces Sveviæ; excepto Ottone IV. Duce Brunſvicenſi: Wilhelmus Comes Hollandiæ: Rudolphus I. Comes Habspurgicus: Adolphus Comes Naſſovius: Albertus I. Dux Auſtriæ: Heinricus VII. Comes Lutzelburgicus: Ludovicus IV. Dux Bavariæ: Carolus IV. Rex Bohemiæ: Wenceslaus Marchio Brandeburgicus: Rupertus Comes Palatinus: Sigismundus Marchio Brandeburgicus: Albertus II. Fridericus III. Auſtriæ Duces: Maximilianus I. Carolus V. Ferdinandus I. Maximilianus II. Rudolphus II. Matthias I. Ferdinandus II. & Ferdinandus III. modernus noſter invictiſſimus & glorioſiſſimus Imperator, Archiduces Auſtriæ.

XXI. Ex hiſce præmiſſis, duæ nobiliſſimæ & ventilatione digniſſimæ ebulliunt controverſiæ. Quarum prima eſt de Natali ſeptemvirorum Collegii, quo tempore illud extiterit?

XXII. Eminentiſſimo ſeptemvirorum Collegio quæſtio-

ſtionem Status dudùm motam, deque ipſius Natali anxiè quæſitum fuiſſe neminem publicum jus ſectantem (ut conjicio) latebit.

XXIII. *Jordanus*, Natalem ſeptemvirorum Collegii, tempore Caroli Magni extitiſſe ſcribere nō dubitavit *in Chron. Tit. qui Principes &c.* Ubi 4. Electores ſeculares & 3. Eccleſiaſticos à Carolo Magno conſtitutos refert. Eandem opinionem fovent *Auctores Chronici Scabinorum Magdeburgenſium & Erneſtus Comes Mansfeldius in oratione de Henrico I.* ubi perorando teſtatur, Ottoni Magno Imperium Romanum conſenſu Principum Electorum Moguntinenſis, Colonienſis, Trevirenſis & Palatini &c. (qui tunc ex Caroli Magni conſtitutione Imperii rebus præfuerunt) ſuffragiis delatum fuiſſe.

XXIV. *Wernerus Rolewinik in faſcic. tempor. ætate 6. fol. 70. Albericus à Roſate in lexico, verbo:* Electores *& in l. 3. C. de Quadrien. præſcript. n. 4. & ſeq. Martinus Polon. in Chron fol. 344. Andreas Kruken. de Saxon. non provoc. jur. verſu* Electōrū *c. 1. n. 4. Engellrechtus differt. de Succeſſione in Electorat ex Jure Primogenit. th. 2. & 42. Mercator in Atlante Minore* von Teutſchland *fol. mihi 333.* und von der Pfaltz am Rhein *fol. 365. & alii ferè innumerabiles ſcriptores laude fideq; digniſſimi*, concorditer teſtatum reliquerunt Natalem Collegii Septemviralis tempore Ottonis III. apparuiſſe: Cùm enim Otto ille III. prole maſculâ deſtitueretur, & multis manifeſtisq; exemplis, tàm Creſcentii ejus æmuli, quàm aliorum didiciſſet, perniciosas vacante Imperio circa ſucceſſiones facilè enaſci factiones, illis in tempore remedium ſalutare quæſivit, novoq; decreto ſeptemviratū ſive ſenatum ſeptē Electorū, qui caſu emergente & neceſſitate efflagitante Regem Romanorum in Imperatorem promovendum eligerent, in Patria ſua Germania inſtituit, id quod à Gregorio V. Pontifice, ejus conſangvineo approbatum & inviolabili ſtabilitate usq; ad noſtra tempora conſervatum fuit. *Gewold. c. 5. tit. & ſeq. Cluver. in vita Ottonis III.* Accedit Privilegium Ottonis III. ſcriptum *anno 999.* & præfixum juri Saxonico Municipali Weichbildt dicto: ibi: Und geben der Stadt Magdeburg und jhren Einwohnern das heilige Recht vñ

Ge-

Gerichte/vnd den Römiſchen Keyſer/ mit des Reichs Chur-fürſten/beyde geiſtlich vnd weltlich zu einem Vormunden/der Stadt vorzuſtehen an dem Heerſchilde vnd an allen Nutzen vnd Frommen.

XXV. In hanc ipſam inde ſententiam, verè & eleganter Archiepiſcopus Moguntinus graviſſimâ oratione, ad Coelectores ſuos habitâ, cùm de eligendo Carolo V. Cæſare ageretur, peroravit: Hæc (inquiens) certamina (de quibus mentionem fecerat) ut caveret ad poſteritatem, Otto III. graviſſimo conſilio & comprobante Romano Pontifice Collegium Electorale inſtituit, cujus Collegii ſapientiâ & fide jam annos quingentos Imperii poſſeſſio in hac natione relinqueretur, quod non modò Germanicæ nationi glorioſum eſt, ſed etiam toti Europæ multis modis ſalutáre fuit. *Georg. Sabin. de Election. & Coronat. Caroli V.*

XXVI. *Aventin. annal. lib. 5. Onuphr. Panvin. de Comit. Imperat. c. 6. Peucer. in Chron. lib. 4. in vita Ottonis III. & alii eorundem aſſeclæ* contra alteram opinionem inſurgunt eandemq; hiſce potiſſimùm fundamentis, penè verò dixerim, commentis oppugnare audent. 1. Quia Decretum Ottonis III. non extet aut produci poſſit. 2. Quia apud Gratianum qui Decreta, Conſtitutiones & Statuta Pontificum collegit, ne verbum, imò nec jota, multò minus Decretum aut quicquam tale Cæſaris Ottonis III. vel Gregorii V. reperiatur. 3. Quia nemo Hiſtoricorum extat, Ottoni III. & Heinrico II. contemporaneorum, qui vel minimam mentionem faciat ejusmodi Decreti de Electoribus & Cæſare eligendo, cùm tamen adeò diligentes fuerint, ut ubi Imperator ſingulis noctibus pernoctaverit, ubi Paſcha, Penteçoſte, Natale & Quadrageſimam ſingulis annis tranſegerit, ſcripſerint & poſteritati reliquerint. Imò verò è contrario nonnulli eorum reperiantur, qui longè aliud ſuis rerum Germanicarum monumentis publicis inſcripſerint, ut, *Regino, Wittichindus, Luitprandus, Lambertus Schafnaburgenſis, Abbas Urſpergenſis & alii.*

XXVII. Verùm enim verò rationes iſtæ opinionem illam ſecundam ſive mediam ſuprà à me relatam oppugnant

B qui-

quidem, at non expugnant. Prima enim ratio ficulnea eſt, adeoque fractu facilima. Sic enim infert: Decretum Ottonis III. de inſtitutione Electoralis Collegii non extat, nec poteſt produci. E. non fuit. At quæ iſthæc concluſio? Varias certè valerem huic rationi opponere inſtantias de Ulpiani, Æſculapii & Ariſtotelis integris ſcriptis, ſed brevitatis amicus, unicam duntaxat ex ſacris adjiciam: Libri Bellorum Domini, quorum mentio fit *Num. 21. v. 14.* non ampliùs extant nec poſſunt produci, E. non fuerunt. Ecquem tibi ſanæ adhuc mentis hoc daturum putas? Relinquitur ergò: Dicere, in natura rerum nunquam fuiſſe, quod non extat hodiè: ineptum eſſe omninò & à ratione alienum. Quin imò, quod Decretum illud in rerum natura fuerit, ex allegatis theſi antecedenti authoribus non obſcurè pateſcit; quos omnes Impugnatores iſti priùs in jus vocent ac judicio ſuperent, quàm opinio eorum fidem inveniat.

[illegible]IX. Altera ratio eſt inefficax, 1. quia fieri potuit, ut Decretum ante tempora Gratiani, qui vixit circiter annum M.C.LI. interierit. 2. Quia Gratianus ſibi non propoſuit omnes & ſingulas Pontificum Conſtitutiones operi ſuo inſerere, ſed eas tantùm quæ negotio ſuo uſui eſſent & maximè inſervirẽt.

XXIX. Tertia ratio, quam putat præ ſe ferre caput Meduſæ Herculisq; ſcutum *Onuphr. Panvin.* ipſi minus nihilo patrocinatur, cùm notum ſit ex Logicorum Principio, à Teſtimonii loco negativè in hiſtoriis profanis procedere argumentandi genus eſſe valdè arenoſum & inutile. *Philipp. Dutrieu in manuduct. ad Logic. Tract. 4 p. 1. cap. 3 art. 1. n. 4.* Nulla enim eſt conſequentia; Hiſtorici, Ottoni III. & Heinrico II. contemporanei, nullam faciunt mentionem Decreti Ottonis III. E. illud nunquam lucem aſpexit, unicam dabo inſtantiam: Legis Regiæ, quâ Populus Romanus omne ſuum Imperium & poteſtatem in Auguſtum abdicativè tranſtulit §. *6 inſt. de J. N. G. & C. & l. 1. ff. de conſtit. Princip.* *Magnif. Dn. Ordinarius Theodoricus diſp. Crim. 5. th. 1. lit. p. & Ampliſſ. Dn. Ungepauerus Exercit. 2. q. 4. in Nego. Patroni & Præceptores mei honoratiſſimi,* nullus Hiſtoricorum Auguſto contemporaneorum meminit. E. illa lex nunquam

quam

quam fuit lata. Abſurditatem concluſionis quis non deprehendit?

XXX. *Nec Onuphrius Pavvin*, authoritate & teſtimonio antiquorum illorum rerum Germanarum ſcriptorum quos pro deſtruenda mea opinione adducit quicquam efficit, quia illi partim vixêre & ſcripsêre ante tempora Ottonis III. quomodo ergò teſtimonium perhibeant? non entis enim nulla ſunt accidentia *Ariſt 4. metaphyſ tex. 16.* partim in monaſteriis vitam tranſegerunt nec rebus politicis interfuerunt, ſed ſaltim ea quæ rumor & fama vulgi anceps illis ſuppeditavit, obſervârunt inque hiſtoricos ſuos commentarios retulerunt, unde facilè dubia pro certis, falſa pro veris annotare potuerunt, *Gewold. c. 7. d. tract.*

XXXI. Prior verò iſta *Jordani Auctorum Chronici Scabinorum Magdeburgenſium & Comitis Mansfeldii* opinio, nullo negotio refutatur ex iis, quæ *th.* XII. dicta, & ex Caroli Magni teſtamentariis tabulis, in quibus filios ſuos Imperii & Regnorum ſuorum heredes inſtituit, ſucceſſoresq; reliquit, *Gewold. c. 2. alleg. tract. & Sleidan. lib. 3. de Monarchiis.* Quibus addi poteſt diviſio Imperii & Regnorum, à Lothário, Carolo Calvo & Ludovico, fratribus, filiis Ludovici, in iis facta. *Cluver. in vita Lotharii.* Ex quibus ſatis elucet exiſtente ſtirpe Regia Caroli Magni, Imperium fuiſſe hereditarium non electitium. Remoto igitur genere, quòd non fuerit electitium, removentur etiã omnes ſpecies, ſcil. quod illi Imperatores nec electione Electorum nec aliorum Imperii Principum, Imperiali faſtigio eminuerint. *Porphyr. in Iſagog. c. 7. & 9. Everhardus in Top. loco à genere ad ſpeciem n. 1.* Pluribus hac de re opinionibus qui delectatur, *Heigium p. 1. q. 3. per tot.* adeat. Mihi enim primarias hac vice fideliciter recenſiſſe ſufficiat Et hæc de prima.

XXXII. Sequitur altera controverſia: Nimirum quia 10. Imperatores Auſtriaci (quos haud immeritò Romanos Monarchas appellito) continuatâ ſerie ſibi invicem ſucceſſerunt, ut *th.* XX. videre licet, an ob id ſucceſſio in Imperio noſtro non ampliùs dicenda electitia, ſed hereditaria?

XXXIII. Et Imperatorum Auſtriacorum Succeſſionem

hereditariam, non electitiam agnoſcit *Hartmannus Maurus* Conſiliarius Archiepiſcopi Colonienſis *de Coronatione Caroli V. Imperatoris* apud *Simonem Schardium* Aſſeſſorem Cameræ Imperialis *tom. 2. Rer. German fol. 862.* hanc proferens rationẽ quam ſilentio nequaquam prætereundam putat, quòd Archiepiſcopus Colonienſis in ſacris illis precibus illud præcipuè ſolenniterque inter plura alia comprecetur, ut Reges quoq; de lumbis Imperatoris, per ſucceſſiones temporum futurorum egrediantur. Quo uno ſolo, inquit, ſatis planè conſtat non minus inepta atq; frigida quàm invidiſſima ratione illos uti, qui negant, optimè meritorum Imperatorum clariſſimo ſangvini Imperium deferendum electione, ne ob id videatur quaſi ſucceſſioni deberi, cùm eos optimo merito ſpes ſucceſſionis manere debeat. *Hæc ille.*

XXXIV. His adnumerari etiam poteſt illa precum formula, in coronatione Imperatricis Romæ olim uſitata, quam Cardinalis Epiſcopus ſuper Imperatricem genu flectentem, depoſitâ mitrâ recitabat: Omnipotens ſempiterne Deus, fons & origo totius bonitatis, qui fœminei ſexus fragilitatem nequaquam reprobando avertis, ſed dignanter comprobando potiùs eligis, & qui infirma mundi quæcunque ut fortia confunderes, eligenda decreviſti; quiq; etiam gloriæ virtutisque tuæ triumphum in manu fœminæ Judaicæ olim plebis de hoſte ſæviſſimô aſſignare voluiſti: Reſpice quæſumus ad precem humilitatis noſtræ, ut ſuprà hanc famulam tuam N quam ſupplici devotione Imperatricem eligimus, benedictionum tuarũ dona multiplices eamq; dexterâ tuæ potentiæ ſemper & ubiq; circumda: & ut dono tui numinis undiq; firmiter adjuta, viſibilis ſeu inviſibilis hoſtis nequitias triumphaliter expugnare valeat, & una cum ſacra Rebecca, Lea & Rachaele, beatis reverendisq; fœminis fructu uteri ſui fœcundari ſeu gratulari mereatur, ad decorem totius Imperii ſtatumque ſanctæ Eccleſiæ regendũ nec nõ protegendũ: per Chriſtum Dominum noſtrum, qui ex intemeratæ B. Mariæ virginis alvo naſci, viſitare & renovare dignatus eſt mundum: qui tecum vivit & gloriatur Deus in unitate Spiritus ſancti per immortalia ſecula ſecu-

lo-

lorum, Amen. *Petrus de Andlo lib. 1. Ceremon. Roman. c. 6. de Coronatione Imperatricis ſine Imperatore.*

XXXV. Melius verò & prudentiùs ſentiunt *Knichen. c. 3. de Saxon. non provocand jur. n. 176. & ſeq. Reinkind. de Regimine Secular. & Eccleſiaſt. lib. 1. claſſ. 5. c. 2. Limnæus lib. 2. J. P. c. 3. n. 5. & penè innumerabiles alij*, qui Imperatorum Auſtriacorum Succeſſionem electitiam propugnare ſatagunt ſequentibus immotis & infallibilibus fundamentis: veluti 1. c. 1. & 2. *A. B. Caroli IV. 2. Capitulationibus Imperialibus*, in quibus jurant: Und inſonderheit wollen wir uns auch keiner Succeſſion anmaſſen / unterſtunden / noch in ſolcher Geſtalt unterziehen / oder darnach trachten / auff uns ſelbſt / unſere Erben und Nachkommen oder auff jemand anders zu unterſtehen zu wenden / Sondern wir / dergleichen unſer Kinder / Erben und Nachkommen / die gemelten Churfürſten ihre Nachkommen und Erben zu jeglicher Zeit bey ihrer freyen Wahl und Vicariat / wie vor Alters hero auff ſie kommen / die güldene Bull / bäpſtliche Recht und andere Geſetz oder Freyheit vermögen geruhig bleiben und gantz unbedränget laſſen. Wo aber darwider ichtwas geſucht / gethan / oder die Churfürſten in deme bedrungen würden / das doch keines weges ſeyn ſolle / das alles ſol nichtig ſeyn und dafür gehalten werden. *Limnæus ex part. 2.* Politiſcher Reichshändel. *Goldaſt. lib. 2. J. P. c. 3. n. 9.* 3. Teſtimonio Moguntinenſis Archiepiſcopi, Matthiam Imperatorem jamjam Francofurti coronandum ita compellantis: Sta & principem locum tene, non hereditario jure, ſed ſuffragio ſeptem virorum tibi attributum. *Buleng. lib. 13. hiſt. p. 406.*

XXXVI. *Ad Hartmanni Mauri & ſequentem rationem*, faciſe puto reſponderi poſſe; vota illa minimè neceſſitare, & hereditarium aliquod jus inducere. Res, ſi opus, poteſt declarari exemplo: Benedictus apprecatur Bonifacio, ut filius ejus Magiſter vel Doctor evadat, quis ſanæ mentis exindè apodicticè concludat, hoc apprecatus eſt Benedictus Bonifacio. Ergo neceſſariò fiet, cùm hoc ſit purum putum contingens. Quid ſi verò evaderet Magiſter vel Doctor? illud non adſcribendum eſſet voto, ſed potiùs ipſius diligentiæ & ſtudio. Sic licet decies ex Linea Auſtriaca Archiduces ſibi invicem ſucceſſerint in Im-

perio, id tamen minimè Electoris Colonienſis voto, ſed potiùs illorum merito, quo ſe Imperatoriâ Majeſtate dignos exhibuerunt, attribuendum erit. *Limnæum adde lib. 2. J. P. c. 4. n. 6. 7. 8 & 9.* Et hucusq; de Succeſſione Imperatoria. Nunc de Electorum, Succeſſionum noſtrarum ſpecie altera.

XXXVII. Electores ſeptem numerantur in Imperio, id quod non ſolùm ex *ſuprà d. ſlis*, ſed & *proœmio A. B.* ſat notorium. Quippe in qua etiam vocantur ſeptem candelabra lucentia in unitate ſeptiformis ſpiritus: Tres verò eorum Eccleſiaſtici ſunt ſive ſpirituales; utpura Moguntinenſis Archicancellarius per Germaniam & Collegii Electoralis Decanus, *c. 1. §. præterea & c. 4. §. cæterùm A. B.* Trevirenſis Archicancellarius per Galliam & Regnum Arelatenſe *c. 1. §. item A. B.* & Colonienſis Archicancellarius per Italiam *c. 3. §. 2. A. B.* Et quatuor Politici ſive Seculares: Nimirùm Rex Bohemiæ, ſacri Imperii Archipincerna *§. primò* Palatinus ſacri Imperii Archidapifer. *§. deindè.* Saxo ſacri Imperii Archimarſchalcus *§. ducum.* Et Brandeburgenſis ſacri Imperii Archicamerarius *§. & hic. c. 1. A. B.* unde *Reusnerus in deſcriptione Urbium Imperial. p. 13. verſiculis, pingviſſimâ Minervâ conſcriptis:*

Septem clara viris fulget Germania Magna,
Quos penes arbitrium Cæſaris omne manet.
Poma Palatinus Dapifer gerit aurea Princeps,
Dux gladios Equitum, Saxo, Magiſter habet:
Marchio fert ſceptrum Camerarius, inde Bohemus
Rex Pincerna manu pocula digna tenet:
Præſul Agrippinus, fert ſigna per Itala Regna:
Teutona, Mogiacus: Gallica, Trevir amat.

XXXIIX. Electorum ſpiritualium Succeſſionem dari nullam notiſſimum eſt, & planè indubium, ut vix operæ pretium ſit vanis allegationibus paginas implere aut lectori moleſtiam creare. Solùm igitur hîc agendum erit de Secularium Electorum Succeſſione.

XXXIX. Secularium Electorum Succeſſio boni ordinis ergò perpendenda reſpectu Linearum 1. Deſcendentium. 2. Aſcendentium. 3. Collateralium.

XL.

XL. Reſpectu Lineæ Deſcendentium in limine ſtatim occurrit quæſtio: Si Pater Elector ad plures penetrans, relinquat tres vel quatuor filios, quis eorum in Electoratu ſuccedat? Reſp. Primogenitus Legitimus, h. e. legitimè natus: das erſtgeborne rechte Eheskind/c.7.§.3.A.B non naturalis vel ſpurius vel legitimatus, §. *naturales 2. F.26. Vult.lib.1.F.c.9.n.9. Ruter ib.in part. Feudal.c.13. Hunn.tract. Feudal.c.10. & Limnæus lib.3.J.P.c.7.n.18.*

XLI. Modò non exiſtat fatuus, furioſus, & alterius famoſi, & notabilis defectus, propter quem non debeat ſeu poſſit hominibus principari, *c.2 §.2.& c.20.§. decernimus A B.* Conſvetudo enim de præferendo primogenito, non eſt extendenda contrà utilitatem Regni, *Schurff.Conſil.24 n 8.cent 2.*

XLII. Nec etiam Clericus, *d.c.7.A.B.* Quippè qui non ſolùm jure communi ſucceſſionis feudalis incapax eſt *c.30.2.F.* Verùm etiam ex hac ratione ſingulari non admittendus, ne numerus Electorum Eccleſiaſticorum augeatur: Secularium contrà minuatur.

XLIII. Alii tamen cuidam ex fratribus ordine naſcendi proximiori jus ſuum deferre poteſt, & (quod cuivis licet) juri & favori pro ſe introducto, renuntiare, *l.41 ff. de Minor. l.46. ff.de Pact.l.pen. C.eod.l.41.C.de Epiſcop.& Cler.* Cujus renuntiationis exemplum adducit *Chytr. lib.1. Chron.* ſcribens de Friderico Burggravio Norimbergenſi, poſtea verò beneficio inveſtituræ Imperatoris Sigiſmundi, Electore Brandeburgenſi, qui jam jam moriturus quatuor filios, Johannem, Fridericum, Albertum & Fridericum II. ad ſe vocavit, & à Johanne Primogenito paternè petiit, ut is juri ſuo quo gauderet, ratione Primogenituræ, quoad ſucceſſionem, in Electoratu renuntiaret, idq; Fratri Friderico ad res gerendas aptiori, cederet, cui petitioni Primogenitus filialiter annuit fratriq; ſecundogenito lubenti animo, omne jus ſuum ceſſit.

XLIV. Succedit Q. 1. Si Pater Elector moriatur & relinquat ex filio Primogenito nepotem & filium ſecundogenitum, cuinam eorum debeatur Succeſſio Electoratus? De qua haud immeritò dixero eam quavis charybdi periculoſiorem &

atque ita explicatu difficilem, ut faciliùs Nili fontes reperire liceat, quàm hic hæſitandi finem: *Magnif. Dn. Arumæus, Patronus & Præceptor quondam meus honoratiſſimus exerc. 11. th. 4. Arnoldus Engelbrecht in comment. ad c. 7. A. B. Tiraq. de Jure Primogenituræ q. 40. Schurff. cent. 2. conſ. 1. n. 21. Wurmſ. exerc. 2. J. P. q. 15. & communiter ferè omnes*, Nepotem ex Primogenito Secundogenito filio præferendum exiſtimant. 1. Quòd Primogenitus ex genuina Juris Primogenituræ natura, ipſo nativitatis momento jus ſuccedendi in Electoratum acquirat, & ſic, ſi antè actualem Electoratus poſſeſſionem vitâ excedat, filiis ſuis tanquam locum ejus repræſentantibus, *§. 6. inſt. de hered. ab inteſt. defer. & Nov. 118. c. 1. & 3.* à ſe quæſitum & ſatis radicatum transmittat.

XLV. 2. Quod vigore *c. 7. A. B.* Primogenito non extante, ſucceſſio ad ejusdem Primogeniti Primogenitum, Laicum, liberè & ſine contradictione cujuspiam devolvatur.

XLVI. 3. Quod ſemper ex ordine genituræ ſenior ad ſucceſſionem vocetur *in Bulla ſingulari Caroli IV. quam apud Francofurtum anno 1376. viceſimo pòſt latam Cameralem illam auream B. ad preces Wenceslai Electoris Saxonis Anhaldini emiſit*, cujus verba, quia paucis obvia lubet apponere: *Præſente*, (inquit illa) *Imperiali edicto in perpetuũ valituro ſancimus, quòd poſt dicti Wenceslai Saxoniæ moderni & Luneburgenſium Ducis obitũ, ejusdem Primogeniti filius ex ordine genituræ, & ſic deinceps à ſeniore filio deſcendentes ex ordine genituræ ſemper ſenior &c. jus, vocem, dignitatem & poteſtatem eligendi Romanum Regem promovendum in Imperatorem & officium Mareſchallie cum omnibus & ſingulis ſuis dominiis, honoribus, juribus, privilegiis, dignitatibus & pertinentiis perpetuis temporibus obtineat per ſucceſſionem hereditariam & paternalem.* Idem octo pòſt luſtris *Sigismundus filius Rex anno 1414. & poſtea Imperator anno 1434. in Bullis ſuis datis Ludovico Pio Palatino Ruperti Regis filio iisdem verbis repetiit & confirmavit.* Atqui ſi Pater Elector moriatur & relinquat ex filio primogenito Nepotem & filium ſecundogenitum, nepos ex ordine genituræ eſt ſenior. E. etiam nepos, excluſo patruo, proximus erit in ſucceſſione.

XLVII.

XLVII. Sed his ſataudacter contradicunt *Goldaſtus in ſeniore ſive de Majoratu lib. 3. c. 6. 7. & 13. & diſcurſ. de Jure repræſentat. in Primogenit. th. 13. & aliquot ſeqq. Limna. lib. 5. J. P. c. 15. n. 3. & alii*, autumantes prærogativam ſuccedendi in Electoratum, optimo jure ſibi vindicare filium ſecundogenitum pro nepote primogeniti denati 1. Propter Decretum Imperiale Publicum in Comitiis Generalibus Aquisgrani latum, cujus meminit *Goldaſt. allegat. th. 13.*

XLIIX. 2. Quia nemo plus juris in alium poſſit transferre, quàm ipſe habeat *l. 54. & 120. ff. de R. J.* Primogenitus autem, ſi ante Patrem obeat, in ſucceſſione Electoratus nihil juris habet. E. etiam nihil in heredem transfert. Min. probat. Quia ſucceſſio ipſi, non propter nativitatem & geniturâ priorem, ſed propter Senioratum ſive ætatem majorem defertur, weil er/ tempore mortis patris, der Elſiſte. Ejusdemque probationis probatio inter alia deducitur ex variis inveſtiturarum literis: In quibus, non tàm genitura aut nativitas prior, & in ipſo nativitatis momento avidè arreptum, atq; adeò porrò in liberos transmiſſum ſuccedendi Jus, quàm ætas annoſior, pro genuina ſuccedendi ratione ab Imperatoribus ipſis, atq; etiam ſeptemviris tùm inveſtitis, adferri videtur. Veluti 1. *ex literis Erneſti Electoris, & Alberti fratrum Ducum Saxoniæ datis à Friderico III. Imperat. Neoſtadii in Auſtria die Johannis Baptiſtæ Anno 1465. Parenti eorum Friderico II. Electore mortuo anno 1464.* Vnd hat vns der obgenandte Hertzog Ernſt demütiglich gebeten/ daß wir jhm / als dem Elteſten/ inſonderheit das Churfürſtenthumb zu Sachſen mit dem Ertzmarſchalckampt leihen möchten. 2. *ex literis Erneſti Electoris & Alberti fratrum Ducum Saxoniæ, quibus inveſtiti fuerunt de Wilhelmi Ducis Saxoniæ Provinciis: Thuringia & Franconia, datis à Friderico III. Imperatore Gratzæ d. 25. Junii anno 1483.* Als wir vor vorſchienenen Zeiten den genandten Hertzog Ernſten/ als dem Elteſten/ das Churfürſtenthumb zu Sachſen/ etc. geliehen. 3. *ex literis inveſtituræ Friderici III. vulgò Sapientis Electoris & Johannis fratrum Ducũ Saxoniæ, datis à Friderico III. Imperatore Norinbergæ d. Georgii anno 1487.* Haben vns jtzund die Hochgeborne Friderich des hei-

digen Römiſchen Reichs Ertzmarſchalck vnd Johannes Gebrü-
dere Hertzoge zu Sachſen etc. nach deſſen Vaters Abgang erſu-
chet / vnd mit demütigem Fleiß gebeten / daß wir den genandten
Hertzog Friederichen/als den Eltiſten/ allein mit dem Hertzog-
thumb zu Sachſen dem Ertzmarſchalckampt der Chur vnd was
von Rechtswegen darzu gehöret/belehneten.

XLIX. 3. Quia monſtro non ſit abſimile, ſi nepos remotior à carne & ſangvine ultimi poſſeſſoris, habeatur pro herede excluſo filio gradu & naturâ proximiore. Quid ergò, in tanta ſententiarum diſtantia? Scintillularum veritatis ex duriſſimo hoc chalybe magis excudendarum gratiâ cum iis, qui pro Patruo ſtare volent pro nepote in arenam deſcenſurus ſum. Quæ tritior via eſt & ob deambulantium frequentiam ſecurior. Cum iis verò, qui pro nepote, depugnabo pro Patruo. Licet via hæc deſertior & infeſtior.

L. Reſpectu Lineæ Aſcendentiũ Q. 1. Si Pater & filius ſimul & eodem tempore exiſtant Electores & filius præmoriatur, an Pater filio ſuccedere poſſit? Reſp. Patrẽ Electorẽ filio Electori nequaquam ſuccedere poſſe, ad oculum conſtat ex *c. 1. A. B.* ubi ſeptenarius Electorum numerus præcisè requiritur, qui adeò ad ſtrictam & immutabilem obſervantiam eſt redactus, ut neq; augeri neq; minui poſſit. Unde cùm aliquando Maximilianus I. Imperator Electores ſollicitaret de jure ſuffragii in electione Imperatoria Archiducibus Auſtriæ communicando, repulſam tulit. *Hartman. Maur. de Coronat. Carol. V. & Marquard. Freb. in not. ad Petrum de Andlo c. 4. lib. 2.*

LI. *Dicis:* Quæſtio præmiſſa ineptè videtur formata, cùm non entis nulla ſint prædicata ſecundùm communem ſupr. *th.* 30. citatam Philoſophorum Regulam. Patrem autem & filium ſimul Electores eſſe poſſe eſt non ens. *Fabric. lib. 7. Origin. Saxon. fol. 696.* qui illud non uſitatum eſſe aſſerit. E. nec ejus poſſunt eſſe prædicata, quod alter alteri in Electoratibus ſuccedat.

LII. Verùm enim verò illa objectio non eſt ſcopulus, ſed ſcrupulus, unde quæſtioni meæ ritè formatæ naufragium minimè metuendum. Prodeat *Fabricius*, & videat quàm craſſè

erret.

erret. Memoriæ tradit Imperatorem Sigismundum reſpondiſſe Ludovico Electori Palatino, & Friderico Electori Brandeburgico, vacantem Electoratum Saxonicum filiis ſuis natu majoribus petentibus: Uſitatum non fuiſſe ad ſua usque tempora, ut Pater & filius ſimul Electores eſſent, & Provincias Imperii binas poſſiderent. Id quod apertè falſum. Denato enim Alberto ultimo Lineæ Anhaldinæ Electore Saxonico, Electoratus ſecundùm *c. 7. A. B.* ad Imperatorem & Imperium fuit devolutus; Quià verò neceſſitas poſtulabat, ut alius de eo inveſtiretur, à Sigismundo petebant ejus inveſtituram, Electores, Ludovicus Palatinus & Brandeburgicus Fridericus pro filiis ſuis Primogenitis: Sibi ipſi verò Fridericus Marchio Miſnicus, is qui ultimus genitor eſt omnium Illuſtriſſimarum Linearum modernarum Saxonicarum, ob fideliſſima ſervitia & auxilia, quæ Imperatori contra Bohemos hoſtes præſtiterat, unde & nomen Bellicoſi adeptus, pro eoq; etiam Electoratus Saxonici ordines Provinciales ſpectabili legatione ad Sigismundum miſsâ intercedebant. Quid ergò reſpondebat Electoribus prædictis Sigismundus? Certè non id, quod ait *Fabricius*, ſed: ſe promptum quidem eſſe ornandi filios eorum, ſed rarum (rarum (inquit) non inuſitatum) Patrem & filium ſimul eſſe Electores. Es ſey nicht viel gehöret (Non multùm ait: Ergò tamen auditum nec omninò incognitum) vnd frembde/ daß Vater vnd Sohn zwey Churfürſtenthumb beſitzen ſollen/ ſe verò conſtituiſſe Friderico Marchioni Miſnico, Principi ingenio & arte militari clariſſimo, ob ſingularia ſervitia ſibi totique Imperio fortiter pugnando, & laudabiliter vincendo contra Bohemos hoſtes præſtita Electoratum conferre. Id dictumq; & factum ſimul, dùm ipſum abſentem ſine ſolennitatibus *Presburgi anno 1423.* primùm, deinde præſentem *Budæ* ſolenniſſimè *d. 1 Auguſti anno 1425.* de Electoratu inveſtiebat: prout autor eſt *Georgius Spalatinus* Friderici Sapientis, Johannis Conſtantis, & Johannis Friderici Electorum Saxonum Secretarius olim & concionator aulicus, tandem Antiſtes Aldenburgicus, qui omnia hæc ex archivo deſumſit, & diligentiſſime (ut fatetur *ipſe Fabric. cit. loc.*) omnium rem proſecutus eſt, *in libris*

quos de antiquitate & nobilitate domus Saxonicæ linguâ vernaculâ edidit. Ac præter eum *Ludovicus Perſona in oratione pro Wittberga allegans* Sigiſmundi literas authenticas.

LIII. Nec verò exempla deſunt, quibus inſuper *Fabricii* relatio falſitatis convinci poſſit. Ecce enim ante tempora Sigiſmundi, Carolus IV. pater & Wenceslaus filius, ſimul fuerunt in Collegio Electorali. Pater enim obtinebat Electoratum Bohemicum, filius Brandeburgicum, *Hieronym. Henning. part. 1. prior. Geneal. Tabb. 61.* loquitur de Marchionibus Brandeburgenſibus è Comitibus Luzelburgenſ. originem ſuam ducentibus *fol. 202. Chriſtophorus* Entzeldt *Paſtor Salfeldenſium in Chron.* der Alten Marck / verſu: Als aber Carolus IV. aus der Marck verrucken muſt / gab er die erſtlich ſeinem Sohn Wenceslao &c. *Cernitius vicearchivarius in aula Electoris Brandeburgici in tract. de reb. geſt. & genealog. Electorum Brandeburgenſium, edito anno 1626.*

LIV. Poſt tempora autem Imperatoris Sigiſmundi Erneſtus Saxo parens, Saxoniæ Elector erat, & Albertus filius ejus, Elector Moguntinus. Ut cupido hiſtoriarum lectori uberiùs cognoſcere licet, *ex Concordatis Alberti Moguntini Septemviri, & Erneſti Electoris Saxoniæ cum Erfurdia urbe uno eodemq; die & anno, nimirùm* Montags nach *Purificationis Mariæ anno 1483. pactis, conventis. Et ex ipſo* (quô cum digladiamur) *Fabricio lib. 7. orig. Saxon. fol. 734.*

LV. Q. 2. Si forſitan cujusdam Ducis filius ob benè merita ab Imperatore de Electoratu aliquo inveſtitus, poſtmodùm è vivis excedat, relictis Patre & fratre, quis horum ſucceſſione gaudeat? Reſp. In Jure Publico caſus non datur deciſus. Ideò eum ex fonte juris communis, quod publico deficiente obſervatur, decidendo pro Patre ex vulgatiſſima Juris Regula concludam: quòd gradu proximior remotiorem excludat. *Authent. Defuncto C. ad SCt. Tertull. & Novell. 118. c. 2.* Pater autem utpote in primo gradu conſtitutus, proximior: Frater utpote conſtitutus in ſecundo, remotior, *§. 1. & 2. inſtit. de grad. Cognat.*

LVI. Reſpectu Lineæ Collateralium exoritur Q. ſuper ſequenti facti ſpecie: Si tres erunt fratres, quorum ſecundogenitus moriebatur, relicto filio, quem itidem ſequebatur Primogenitus, nullo herede genito aut ſuperſtite, an Primogenito ſuccedat fratris ſecundogeniti filius, an verò frater, tertiogenitus? *Dn. Arumaeus diſcurſ. 4. ad A. B. th. 6. & Engelbrechtus cit. comment. ad c. 7. A. B.* partes filii ſecundogeniti defendendas ſuſcipiunt, ſcribentes eandem ſubeſſe rationem ſecundogeniti filii ad patruum tertiogenitum, quæ primogeniti filii ad ſecundogenitum patruum *c. 7. & 24. A. B. & Bulla allegata th. 46.* Wenceslao Electori Saxoniæ data, cujus vigore, ſi primogenitus ſine liberis deceſſerit, ſuccedit ſecundogenitus & ejus liberi maſculi ex ordine geniture. Ut ita, purè vocatus excludat vocatum ad certum tempus, aut in certam conditionem *l. 132. §. 1. ibi Bartol. & Imol. ff. de Legat. 2.* Atqui Bullis atteſtantibus, in noſtro caſu ſecundogeniti filius, purè vocatur. E. Patruum tertiogenitum ad certum tempus, & in certam conditionem vocatum, puta ceſſantibus Primogeniti & ſecundogeniti filiis excludat.

LVII. His vehementiſſimè iterùm ſe opponunt *Goldaſt. diſcurſ. de jure repræſent. in Primogen. th. 26. & aliquot ſeqq. & Limnaeus cit. loc.* concludentes 1. Repræſentationem in Collateralibus locum non habere, cùm in ipſis Deſcendentibus non admittatur.

LIIX. 2. Fratrem tertiogenitum proximiorem eſſe filio ſecundogenito, qui defuncto patruo tertio gradu conjunctus, cùm frater ſit in ſecundo. Et ita *Angelum Aretinum* in terminis terminantibus *conſil. 256.* hiſce conſuluiſſe verbis: *Puta ſi ſunt plures fratres, moritur primogenitus ſine filiis, ſuperſtite nepote ex ſecundogenito mortuo, & ſuperſtite fratre tertiogenito, nepos ex perſona ſecundogeniti fratris defuncti, qui ſi viveret, excluderet tertiogenitum.*

LIX. 3. A Carolo IV. ipſo A. B. conditore deciſum fuiſſe pro tertiogenito contra ſecundogeniti filium in caſu, qui contigit in domo Electorali Saxonica, ſtirpis Anhaldinæ, ubi quæſitum fuit, an Rudolpho primogenito ſine liberis decedente, Wenceslaus frater tertiogenitus jure proximitatis & ætatis, an Albertus filius ſecundogeniti jure repræſentationis ſuccedat? & pro tertiogenito pronuntiatum *in Bulla quadam data Metis anno 1357*, his formalibus: *Si verò præfatum Rudolphum modernum Saxoniæ Ducem ſine legitimis maſculini ſexus heredibus laicis, de lumbis ejus procreatis mori contingeret, ex hinc Principatus, vox, jus, authoritas & poteſtas electionis, hujusmodi modo præmiſſo, ad ſeniorem fratrem ejus per veram paternalem lineam deſcendentem, & ab eodem ad primogenitum ſeu ſeniorem filium ejusdem. Eodemq; ſine legitimi maſculini ſexus heredibus laicis decedenti ad Illuſtrem Albertum filium Ottonis quondam Ducis Saxoniæ, fratris moderni Rudolphi Ducis devolvatur.* Schema enim eorum genealogicum ad hanc faciem figuraverunt *Henning. in Genealog. fol. 171. Chytræus in Saxon. fol. 62.* & alii.

Rudolphus I. Elector Saxoniæ
obiit 1356.

Rudolphus II. Elector obiit 1370. ἄπαις.	Otto Dux Saxoniæ obiit 1349.	Wenceslaus Dux Saxoniæ obiit 1388.

Albertus Dux Saxon. & Lunæburg. obiit 1385.

LX. 4. Tertiogenitum fratrem præferri ſecundogeniti filio, niſi obſervantiâ noviſſimâ Succeſſionis in Electorali domo Palatina ſtirpis modernæ Bavaricæ, ubi Fridericus frater tertiogenitus Ottoni Heinrico ſecundogeniti filio prælatus

tus fuit. Quorum ſchema, facilioris cognitionis gratiâ ſimiliter ſubjiciam.

Philippus Elector Palatinus
obiit 1508.

Ludovicus Elector obiit anno 1544.	Rupertus natus 1481. obiit 1505.	Fridericus natus 1482. obiit 1556.	Wolffg. natus 1494. obiit 1558.
	Otto Heinricus natus 1502. obiit 1559.	Philippus natus 1503. obiit 1548.	

Meditandum igitur, cuinam hac ob ſe invicem differentium parti, calculum noſtrum apponere velimus.

SUO SCHELHASIO

S.

EScita *Privatæ* eſt manca ſcientia *juris*,
Quam ſimul haud *Praxis*, *Publica jura* juvant.
Et quid *ſcire juvat*, ſi deficit *Actio*? *Praxis*
Jurisconſultos, *Publica jura* decet.
Felix Schelhaſi es! Gallinæ filius albæ!
Undique perfectum Te tua ſcripta probant.
Ut poſſum exclamo! ſuccedant fama labori,
Praxis amica chori, praxis amica fori!

Gothofredus Fibigius D. & Curiæ Provincialis Saxonicæ Advocatus Ordinarius.

Clariſſimo & Eximio Viro, Dn. Juſtino Schelhaſio,
J.U. Doctorando,
Amico Chariſſimo S. D.

INgenii ſequitur merces optata laborem,
ornatq; Muſæ Perennes ſatellites.

Tu,

Tu, Juſtine, petis meritò Doctoris honores,
Doctoreis qui militas conflictibus.
Mox aderit caſtis comitata Aſtræa Camœnis,
quæ dicet: iſta ſume præmia.

Lmq; F.

J.M. Dilherrus.

Clariſſimo atq; Eximio Dn. JUSTINO Schelhaſen/ *J. Uq. Doctorando meritiſſimo.*

IMmenſo Juris Pelago dum Vela dediſti,
Legibus auxilium quo benè ferre queas:
Inde Tibi capies præclaros Juris Honores,
Doctrina & Virtus quos peperêre diu.
Sit Tibi fauſtus Honos, &, quæ benè multa mereris,
Præmia; concedat, qui regit Aſtra, DEUS.

Conſalino, Fratri & Amico meo Intimo ſic pectoritùs & benè precabar

Johannes Krull, Hallenſis Saxo.

INduperatorum dum quæ ſucceſſio? quove
Succedant Proceres ordine? amice, doces
Contingat felix, voveo, ſucceſſio: Honori
Gaudia ſuccedant proſperitasq; tuo.

His extemporaneis Clariſſimo Dn. Doctorando Amico ſuo fraterrimo gratulatur

Martinus Schele Hamburg.

FINITIS FINIENDIS
DEO SIT GLORIA
in
INFINITA SECULA.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE